

# TABVLA RECITATIONVM

IN  
ACADEMIA LVDOVICIANA  
PER SEMESTRE HIBERNVM

A DIE XVII. OCTOBR.

CIDIDCCCLXXXV.

IN CHOANDARVM.

---

RECTOR  
ACADEMIAE LVDOVICIANAE  
D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR.

BVCHNER

CVM SENATV.

Quicumque *Abrab. Wielingii Iurisprudentiam restitutam*, Amstelod. 1727. 8uo editam, noua editione vtiliorem reddere, emendare, atque augmentis ornare conaretur, illi varia, quae *Wielingius* plane praetermisit, (e. g. Catalogus Legum & Senatus-consultorum in Codice commemoratorum) addenda, plura, quae tam *Labritus*, quam *Wielingius* negligentius tractarunt, corrigenda, accuratiusque elaboranda essent. In catalogo autorum, e quorum libris nulla quidem legum capita desumpta sunt, sed qui in Pandectis inter Iureconsultos nominantur, multa omissa sunt. Sic v. c. p. 341. addendum esset, *Sernii* auditores etiam in L. 6. D. 1. de dote praelegata, & in L. 7. pr. D. de instr. legatis laudari. Singularem autem emendatione egeret *index librorum veterum Iurisconsultorum* p. LXIII. sqq. exhibitus, in quo non solum in enumerandis inscriptionibus librorum, quibus Iurisconsulti veteres uti solebant, nomina permulta, sed etiam ex ipsis rubricarum generibus plura neglecta sunt. Sic e. g. a *Wielingio* libri *Adessoriorum*, *Benedictorum*, *Coniectaneorum*, *Iuris partisi*, *Memoralium*, *Commentarii iuris civilis* omnino haud commemorati sunt. Exoptandum porro esset, non tantum indices librorum illorum conscribi, sed etiam significationem & scopum inscriptionum illarum, quatenus e fragmentis adhuc extantibus colligi potest, explari. Non temere enim Iurisconsulti Romani, sed argumenti rationem habentes libros suos *Ambiguitates*, *Decreta*, *Protribunalia*, *Differentiae*, *Opiniones*, *Disputationes*, *Variae lectiones*, *Epistolae*, *Sententiae receptae*, *Quaestiones*, & sic porro inscripserunt. Verum enim vero non *Wielingius* solum, sed etiam omnes fere, qui historiam iuris Romani enarrarunt, quid, quod illi, qui vitas Iurisconsultorum veterum persequuti sunt, e. g. *Bern. Ruzilius*, *Iob. Bertrandus*, & *Guiliel. Grotius* (a *Frankio* Halae 1718. iunctim editi) explicandi inscriptiones istas opera prorsus supersederunt. Quod ut exemplo aliquo illustremus, iam pauca quaedam de *Commentariis Iuris Civilis* in medium proferemus, quos vel ipse *Iac. Goshofredus*, in *Manuale Iuris* in classes describens scripta veterum Iurisconsultorum, praetermisit. In praefatione Iectionum hibernarum anni 1784., in qua de *commentariis regum Romanorum* egimus, *commentariorum iuris civilis* omnino etiam mentio facienda fuisse. *Commentariis* breuem & succinctam rei alienius commemorationem contineri, in praefatione illa docuimus. Argumentis, quibus significationem istam firmavimus, iam primo addimus auctoritatem *Senecae*, qui in Epist. XXXIX, haec habet: "*Commentarios*, quos desideras, diligenter ornatos, & in angustum coactos ego vero componam, sed vide, ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam haec quae nunc vulgo *Breviarium* dicitur, olim, cum Latine loqueremur, *Summarium* vocabatur" secundo subiungimus *Quintiliani* (*Instit. Orat. X. 7. 30.*) testimonium, cuius aetate *Ciceronis* ipsius *commentarii* extabant, id est, breues causarum ab eo peroratarum enarrationes, quales ad praefens tempus aptatas libertus eius *Tyro* contraxerat; denique consentientem produci-

mus

mus *Herm. Hugonem* in libro de origine scribendi p. 376., cui *commentarius* memoriae promtuarium est *summas rerum* continens. Quam explicationem si sequamur, *commentarii iuris civilis* compendiosam causarum & quaestionum ad ius civile pertinentium, eorum, quae iuris prudentes (quorum munus praecipue in *responsis* versabatur) de iure civili responderunt, ephemerides exhibuisse videntur. Procul dubio Iurisconsulti veteres addito die & consule, & expressis consultantium nominibus quaestiones ipsis propositas, consiliaque data in *commentarios* tanquam in diaria retulerunt. Quod quidem docere possumus loco *Ciceronis*, qui in libris de Orat. II. 33. sic ait: "Video in *Caronis* & *Bruti* libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro, aut mulieri responderint, credo, ut putaremus, in hominibus, non in re consultationis, aut dubitationis causam aliquam fuisse." *Commentarios iuris civilis* teste eodem *Cicerone* in libris de Oratore I. 56. reliquit vir ille egregie cordatus, *Sex. Aelius Paetus*, qui A. V. C. DLV. consulatum gessit. Quaestiones grauiiores atque rariores ab *Aelio* in *commentariis*, siue hypomnematibus illis summam pertractatas fuisse, ea, quae *Cicero* de *Crasso* ad illos libros prouocante narravit, indicare videntur. *P. Crassus* enim quum ostendere vellet, se rusticano cuidam vere respondisse, ad autores, praesertim ad *Aelii* *commentarios*, confugit. *M. Porcius Cato* nem, grauisimum illum censorem, *commentarios iuris civilis* conscripsisse, *Festus* in voce *Mundus* testatur, librumque decimum quintum *Caronis*, cuius mentio facta est in L. 4. D. de verb. obligationibus, ad *commentarios* illos *Bertraudus* refert. Caetera *Pandectarum* loca, in quibus *Cato* commemoratur, nempe L. 10. D. 1. de aedilitio edicto, L. 44. D. 1. soluto matrim. & L. 98. D. 1. de Verbor. significat. & locum Institutionum Tit. de adopt. §. 12. *Heineccius* in *Historia iuris* p. 214. de *Carone filio* intelligit, cui etiam claram illam regulam *Caronianam* tribuit, argumentis haud idoneis vsus. Quoties enim Iureconsulti homonymi occurrunt, in *Pandectis* ita distinguuntur, ut alterius nomini vocabulum *filius* addatur, e. g. *Nerva filius*. Quum igitur *Cato*, nulla voce addita, nominatus sit, *Cato pater* intelligendus est, omniaque illa, & ipsa adeo iurisprudentiae heuristicae inuentio, in *commentariis* eius extitisse videntur. Quaecumque *Cicero* atque *Pandectae* de *responsis Caronis* dicunt, *Bachius* in *historia iuris* p. 239. recte de *commentariis* eiusdem intelligit, quoniam ibi de iure respondisse, non autem librum suum *responsorum* titulo insignuisse narratur. Breuitatem *Aelii* in *commentariis* suis imitatus esse *Cato* videtur, quippe de quo *Pomponius* L. 2. D. de orig. iuris §. 38. affirmat, eum vestigia *Aelii* sectatum fuisse. Liber septimus est *commentariis* Iureconsulti *Domitiano* & *Nerva* regnante clarissimi *P. Iuuentii Celsi* nominatur in L. 19 §. 6. D. de arg. mundi leg. vbi *Vlpianus* verba ita concepit, ut *commentarii* illi non separatim extitisse, sed maiori operi eiusdem autoris, *Digestis* (i. e. *responsis* secundum ordinem edicti collectis) inferri fuisse videantur. Verba *Vlpiani* haec sunt: "Idem *Celsus* libro XIX. *Digestorum*, *Commentariorum* septimo scribit." *Commentarii* immortalis Iurisconsulti *Caii* citantur in L. 54. D. de condit. & demonstr. quorum quum in hac sola lege mentio facta sit, *Bertraudus* opinatur, non *Caium* sub *Hadriano* florentem, sed *Cassium Longinum*, quem *Nero* in exilium ire iussit, intelligendum esse, quia scilicet lex illa §. 4. e secundo libro *Ianoleni* & *Cassio* desumpta sit. Caeterum *commentarii iuris civilis* distinguendi videntur a libris *iuris civilis*, atque de *iure civili*, quales e. g. *Adasurius*, *Brutus*, *Mamilianus*, *Trebatius*, *Cassius*, alique reliquere, ita, ut in his omnis iuris ambitus ordine recepto contineretur, *commentarii* varia responsa promiscue amplecterentur. E recentioribus inscriptionem illam *Commentarii iuris civilis* imitatus v. c. est *Hugo Donellus* in opere *Francos.* 1596. T. IV. fol. edito. Ultima Latinae linguae aetate *liber* & *commentarius* tanquam synonyma usurpata sunt, id quod e prooemio Institutionum apparet, in quo §. 6. haec legimus: "Quas ex omnibus antiquorum institutionibus, & praecipue ex *commentariis* *Caii* nostri tam Institutionum, quam Rerum Quotidianarum, aliisque multis *commentariis* compositas tres viri prudentes nobis obtulerunt." Hodie vox *commentarius* saepissime pro dissertatione theoretica adhibetur, atque libris practicis opponitur, quo sensu *commentarii* a *responsis* omnino differunt. Sic *Noodr* in *Probabil. iur. civ.* II. 2. *commentarios* *responsis* idco praefert, quia *commentarii* eruditionis, *responsa* gratiae sordiumque documenta contineant. — iam indicem praelectionum hibernarum vobis, *Commiliones suauissimi*, delineaturi, omnis generis institutiones nos *Vobis* offerre posse laetamur, grata mente *Vos*, vti soletis, nostram collegarumque nostrorum operam prosecuturos esse confidimus.

## LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOH. GEORGIUS BECHTOLD hora VII. matutina veritatem religionis Christianae, praecunte Ven. Lessio, demonstrabit. Hora VIII. theologiam dogmaticam, elapso semestri aestivo bono cum Deo absolutam, denuo interpretari inchoabit, duce Ven. Doederlein. Hora II. pomeridiana religionis & ecclesiae Christianae fata a Christo vsque ad Caroli M. tempora e compendio Schroeckhiano enarrabit. Hora III. epistolas Pauli ad Galatas, Thessalonicenses, & Ephesios ex recensione textus Kopp. praeleget; ad scholas quoque catecheticas theoretico - practicas paratus.

D. LVDOV. BENI. OUVRIER H. VIII-IX. Theolog. moral. duce D. Lessio. IX-X. — dogmat. ad ductum D. Seileri. X-XI. — explicabit. Pentateuchum vel alium librum V. T. duas autem per hebdomadem horas analysi grammat. dabit. Diebus Mercurii & Saturni hor. VIII-IX. vel alia hora, commoda artem homileticam docebit ad proprium compendium.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. IX-X. Theologiae dogmaticae partem posteriorem ex *Heilmanno* tradet. Hor. XI-XII. Theologiae moralis partem priorem ex *Tittmanni* christlicher Moral Edit. II. praecipiet. Hor. II-III. Historiam ecclesiasticam antiquiorem ex *Walchio* enarrabit.

### LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Pandectas ex *HELLFELDIO*, ius Canonicum, e *BOEHMERO*, ius Criminale e compendio suo tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS. *Privatim* Hor. VIII-IX. *Ius Publicum* S. R. I. PÜTTERO, Hor. II-III. *Ius Germanicum. privatim* SELCHOVIO duce docebit. *Scholas elaboratorio practicas*, volentibus aperiet. *Publice Ius mercatorum & cambiale* ex libris suis tradet.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora X-XI. *collegium processuale practicum* denno aperiet ad filium CARRACHIL. Hora II-III. *historiam imperii R. G.* duce PÜTTERO, & hora III-IV. *ius feudale* praecunte BOEHMERO, proponet.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER *publice* singulis diebus mercurii hora I-II. *ad lib. 49. D. de appell.* commentabitur. Eadem hora singulis diebus veneris *collegium disputatorium* in usum selectissimorum auditorum *gratis* aperiet. *Privatim* hora VIII-IX. praelectiones ad *Heineccii Elementa iuris civilis secundum ordinem institutionum* instituet. Hora X-XI. *historiam iuris*, duce *Selchovio*, & hora XI-XII. *ius naturae & gentium* duce *Hoepfnero* docebit.

### LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. Hor. VIII. fundamenta sua chymica explicabit, & diebus horisque consuetis experimenta chymica instituet. Hor. X. Pathologiam ac Therapiam speciales, praecunte b. m. I. Z. Platnero, in methodo medendi singulis morbis applicata tradet; Hor. XI. commentationes in A. C. Celsi libros medico-chirurgicos iterum auspicabitur. Hor. I. pomerid. politiam medicam ad sua praecepta, typis profantia, proponet. Nec Da Comilitonum, aliam quamcunque vtriusque medicinae, vel historiae naturalis, partem exposcentium, desiderii deerit.

D IO. LVD. FRID. DIEZ Prof. Med. Ord. H. IX-X. Physiologiam, praecunte Metzgero; X-XI. Anatomiam theoreticam, duce Plenckio, explicabit. Praelectiones in Pathologiam vel Therapiam generalem desiderantibus haud deerit. Anatomiam practicam hominis consuetis tradet.

D. CAROLVS WILHELMVS CHRISTIANVS MVLLER *publice* d. Mercurii h. I-II. praecipuas regulas in educatione puerili physica notandas, enarrabit. *Privatim* h. VIII-IX. Physicam dogmatico-experimentalem, praecunte *Becmanno*, h. IX-X. Chymiam experimentalem tradet. *Privatissime*, h. XI-XII. collegium examinatorium pathologico-therapeuticum aperiet, neque iis deerit, qui pharmaciam addiscere cupiunt.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM. Phil. & Math. P. P. P. H. II. *mathesin puram*, h. III. *applicatam* ad ductum b. WOLFH, h. IV. *logicam*, h. V. *metaphysicam* secundum compendia a se edita docebit, publicam vero bibliothecam consueto tempore recludet.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ, LL. Or. & Graec. P. P. O. hor. X - XI. Matthaeum & Marcum interpretabitur, recensionem textus Griesbachianam sequuturus. Hor. I - II. fundamentale graecum aperiet priuatissime — ead. hor. dd. Merc. & Saturn. linguam anglicanam docebit publice.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Poef. & Eloqu. P. O. Publice Hor. V - VI. *Encyclopaediam scientiarum omnium* e libro suo *Abriss der Gelehrsamkeit* tradet; Priuatim Hor. IV - V. *Liuium* a libro XXI. vsque ad librum XXX. interpretabitur; Hor. VI - VII. *Antiquitates Romanas* duce Rullmanno enarrabit, ad docenda *Rhetorices & Poeticas* elementa paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. O. Hora VIII - IX. *Historiam Vniuersalem* hor. XI - XII. *Historiam Europaeam* ad Compendia sua, hor. X - XI. *Historiam Ecclesiasticam* ad ductum C. Schroeckhii, hor. V - VI. *Philosophiam moralem* ad Comp. proprium docebit, ad alias praelectiones historicas inprimis ad *Statisticam*, vt vocant, paratus.

GEORG. FRID. WERNER Geometriam practicam, Architecturam ciuilem & alias scientias ad Mathesin puram vel applicatam spectantes horis commodis docebit.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IO. FRIDER. ROOS Philof. P. P. E. O. *Historiam vniuersalem* quinquies per singulas hebdomades tradet vsurus libello III. *Schloetzeri: Vorstellung seiner Universalhistorie*. *Xenophontis librum de expeditione Cyri minoris* nec non aliquot *Odyssae* Rhapsodias explicabit quater de hebdomade. Operam suam priuatissimam in lingua *Anglicana, Hebraica, aut Latina* desiderantibus haud deerit.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equestrandi, pugnandi gladio saltandique palacstra, Gallicae item & Italicae linguae scholis*, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

